



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana**

**Regino <Prumiensis>**

**Parisiis, 1671**

287. De eadem re.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14622**

*Item Lucius Papa.*

CCLXXXIV. Rerum ecclesiasticarum & facultatum raptores à liminibus sanctæ Ecclesiæ anathematizantes apostolica auctoritate pellimus & damnamus atque sacrilegos esse judicamus, & non solùm eos, sed etiam omnes consentientes eis: quia non solùm qui faciunt, sed etiam qui consentiunt, rei judicantur.

Capitula Kar.  
Calvi ibid.  
Burchard. lib.  
11. c. 19.

De eadem re.

CLXXXV. Augustinus dicit: Qui aliquid de Ecclesia furatur & rapit, Judæ proditori comparatur.

Capitula Kar.  
Calvi ibid.  
Burchard. lib.  
11. c. 19.

*In canonibus scriptum.*

CLXXXVI. Si quis oblationes Ecclesiæ extra Ecclesiam rapere vel dare voluerit præter conscientiam Episcopi vel ejus cui hujusmodi officia commissa sunt, anathema sit.

Conc. Gangr.  
c. 7.  
Burchard. lib.  
11. c. 21.

De eadem re. *Ex Concilio Meldensi,*  
*cap. LXI.*

CCLXXXVII. Ut pervasores rerum ecclesiasticarum, qui easdem res contra auctoritatem non solùm retinere, verùm etiam crudeliter depopulari noscuntur, quidam etiam & facultates Ecclesiæ in diversa conlaboratione & redditibus eas expoliant; sed & pauperes & vicinos & circummanentes immisericorditer expoliant, devastant, & opprimunt, ut rapaces, qui secundùm Apostolum à regno Dei excluduntur, ex criminali & publico peccato

Concil. Meld.  
c. 61.  
Burchard. lib.  
11. c. 16.

1. cor. 6.

publica pœnitentia satisfaciant. Quòd si hoc agere noluerint, & potestate regia ad hoc exhortati vel coacti non fuerint, proferatur contra eos apostolica terribilis sententia, qua dicitur: *Si quis frater nominatur, & est rapax, cum hujusmodi nec cibum quisquam sumere præsumat.* Quia iniquum & sacrilegum est, ut Symmachus Papa & post eum beatus Gregorius Sabino Subdiacono scribit, & contra leges est, si quis quod venerabilibus locis relinquitur, prævæ voluntatis studiis suis compendiis tentaverit retinere. Secundùm statuta canonum ab omni ecclesiastica communione ut sacrilegus debet arceri, donec studeat digna satisfactione quod admisit corrigere.

1. Cor. 5.

Sexta synodus  
Romana sub  
Symmacho.  
S. Gregor. lib.  
8. Ind. 3.  
epist. 6.

De his qui loca sacrata infringunt.

*Ex eodem.*

Concil. Meld.  
c. 60.  
Burchard. lib.  
11. c. 22.

CCLXXXVIII. Ut hi qui monasteria & loca Deo sacrata & Ecclesias infringunt, & deposita vel alia quælibet exinde abstrahunt, & sacerdotes ac viros ecclesiasticos non solum dehonorent, verùm diverso modo affligunt, velut sacrilegi, canonicæ sententiæ subigantur, atque excommunicentur.

Quomodo Episcopus ad synodum vocet prædatores. *Vnde supra.*

Capitula Kar-  
lmanni Tit.  
2. c. 5.  
Burchard. lib.  
11. c. 13.

CCLXXXIX. Episcopus in cujus parochia aliquis consistens aliquid injustè fecerit, semel & bis atque tertio, si necesse fuerit, vocabit illum sua admonitione per suum nuntium canonicè ad emendationem sive compositionem & ad pœnitentiam, ut Deo & Eccle-  
sia